CURRENDA XV.

A. D. 1865.

N. 121 p.

Italis domicilium italicum retinentibus dispensatio super impedimento religionis mixtæ non concedatur.

Ordinatio hæc Romana elucet e sequenti Encyclica Eminentissimi Cardinalis Patrizi:

„*Illris ac Rme Domine uti Frater.* Sanctissimo Domino Nostro PIO PP. IX. maxime cordi est, ne ullibi ab italis italicum domicilium retinentibus mixta connubia ineantur. Idcirco in audientia die XI. augusti in arce castri Gandulphi r. p. d. Adsessori S. Officii impertita mentem suam declaravit circa usum facultatum dispensandi super impedimento mixtæ religionis, quæ Nuntiis vel Delagatis apostolicis, Archiepiscopis atque Episcopis extra Italiam fiunt; italos nempe, de quibus non constet italicum domicilium omnino deseruisse, intendit *exceptos*, ne iis ea *dispensatio concedatur*. Et mandavit hanc suam mentem iis omnibus significandam, quibus ob peculiaria rerum et locorum adiuncta fit facultas dispensandi super memorato impedimento mixtæ religionis.

Suprema S. Officii Congregatio huic mandato morem gerens hanc encyclicam epistolam ad Amplitudinem Tuam mittendam censuit, cui ego interim fausta ac felicia omnia precor a Domino.

Romæ die 14. Augusti 1865. Amplitudinis Tuæ Addictissimus uti frater C. CARD. PATRIZI.“

Hæc pro notitia et directione. Tarnoviæ die 19. Sept. 1865.

N. 3058.

Consotiatio B. Mariæ refert de Missionibus in Centrali Africa imploratque succursum.

Exc. C. R. Locumten. Commissio Cracov. Rescripto de 30 Aug. 1865 N. 23338 communicat Nobis Relationem de Missionibus in Africa centrali ex a. 1864 commendando ipsum ulteriori Dioeceseos favori.

Relatio illa ferme tetris coloribus Missionis statum ad Chartum, depingit. Princeps enim regionis illius continua sacra auri fame agitatus capturam nigrorum liberorum trans limites ac eorum mercaturam exercet, ad quorum transportationem, aliorum naves, privatorumque camelos violenter occupat, et propterea viae publicae interruptae, commercia, nexusve cum Europa ferme abruptus, transporta retardata, in longinguis depositoriis jacent; insuper incolae perturbati anxium ducunt vitam, inter quos Missionarii premuntur quoque aerumnis.